Signor *Caſſini*'s Letter, giving ſome Account of the Obſervations made at *Paris* of the late Comet.

NUbes, quæ menſe præterito matutino tempore Horizontem tenere conſueverant, impedimento fuêre quo minùs Cometam ante diem 28 Aprilis *videre potuerimus. Illum* D. Romer, *occaſione obſervationis* Satellitum Jovis *habendæ, primùm advertit, & me ſtatim de rei novitate admonito, horâ* 4. 6'. 31''. *poſt mediam noctem, ejus altitudinem accepimus graduum* 12. 22'. 10''. *Cùm Inſtrumentum direxiſſem ad obſervationem Azimuth Cometæ, illud, antequam obſervationem abſolverem, commotum à curioſo familiari, reſtitui non potuit priuſquam Cometa diſparuerit: Judicavi tamen, fuiſſe in verticali declinante ab ortu ad ſeptentrionem grad.* 33. *circiter.*

Die 29 *manè, momento per nubes à* D. Picardo *viſus eſt, horâ* 3. 9'. 31''. *poſt m. n. in altitudine graduum* 4. 39'.

Die 2 Maii *manè, aſcenſione rectâ medii Cœli ex fixis exiſtente gr.* 267, *altitudo Cometæ erat gr.* 4. 5'. *Diſtantia verticalis à ſeptentrione ad ortum gr.* 42. 8'. *circiter.*

Die 4 *manè horâ* 3. 30'. *p. m. n. altitudo Cometæ fuit gr.* 5. 33'. *Diſtantia azimuthalis à ſept. ad ortum gr.* 42. 32'. *circiter.*

Die 5 *h.* 3. 32'. *altitudo Cometæ fuit gr.* 5. 10'. *Diſtantia azimuthalis à ſeptent. ad ortum gr.* 44. 10' *circiter.*

Deinceps tempus nubilum manè & veſpere Cometæ obſervationes invidit.

Quæ habitæ ſunt, ob temporis anguſtiam optatam exactitudinem habere non potuêre. Illæ tamen initio Cometam reponunt in Triangulo, poſtremò propè caput Meduſæ, oſtenduntque Cometam procedere ſecundùm *Signorum ſeriem per lineam proximam, & ferè parallelam illi quam deſcripſit Cometa Anni* 1590 *menſe* Febr. *Magnitudo capitis viſi Teleſcopio videbatur fermè æqualis* Jovis *diſco, aut paulò minùs; nec perfectè rotundum apparebat, ſed figuræ ovalis, longiore diametro horizonti parallelo; quod refractioni horizontali videtur tribuendum.*

Coma ejus, Teleſcopio viſa latior, & fermè parabolica; nudo autem oculo anguſta, & parùm inflexa ad occaſum videbatur.

Monſieur